ſit, quamvis de pœna nihil ſcriptum ſit, firmum ſolidumque robur habeat.

CONSTIT. LXXIII.

* UT NEMO CUM [1] MULIERIBUS IN ECCLESIARUM COENACULIS HABITET.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ res etiam antequam jure prohibita eſſet, deteſtabiliter committebatur, ac vero poſt prohibitionem multo deteſtabilius audetur (quod nempe in [2] Eccleſiarum cœnaculis, quæ promiſcuum vulgus κατηχούμενα [3] vocare ſolet, quidam cum mulieribus habitant) eam neglectim habere æquum non eſt: neque vero ita a nobis habebitur. Ac fuit hæc quidem res ad ſextam [4] usque ſynodum, haud ſcio qua ratione, impune admiſſa, in ipſa autem ſancta ſynodo, ubi penitius excuſſa eſſet, ſacerdotibus ita habitantibus, remotionem [5] a ſacro ordine, profanis vero a rerum ſacrarum communione ſeparationem [6] induxit. Verum, ut plene ab eo auſu eccleſias vindicaret, ad id ſacerdotale decretum non par fuit. Nam cum ad id usque tempus, quo pater noſter inclytus Princeps ſceptra moderatus eſt, in republica conſtitiſſet, ut Principis decretum atque manus eam inſolentiam ſacris ædibus expelleret, oporteret. Quod nos quum dehinc obtinere velimus, ſtatuimus, *ut omnino nullus* neque ſacerdos, neque profanus, in [7] dictis cœnaculis cum mulieribus habitet: ac ſi quis ſacram ædem hoc modo fœdare deprehendatur, hic illinc ignominioſe principali manu exturbetur, qui vero illi cum locum habitandum præbuit (ſive ſacerdos ſive aliquis alius qui templum procurat, ſit) ipſe quoque propter legis contemptum ſacrorumque profanationem procuratione periclitetur.

CONSTIT. LXXIV.

NE ANTE LEGITIMUM MATRIMONII TEMPUS FUTURIS CONJUGIBUS BENEDICATUR [8].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUoniam in iis quæ a ſacra magnaque ſexta ſynodo de nuptiis in duodecenteſimo [9] canone præcipiuntur, quiddam civilis juris placitis contrarium exiſtere videtur (ſynodus enim [10] ne ſponſa, vivente adhuc ſponſo, in matrimonium alteri conjungatur, in univerſum prohibet, eamque rem pro adulterio [11] habet: civilis autem lex [12] nequaquam talem diſſolutionem magnum aliquod eſſe crimen judicat: ſed ſi maturius [13] quam pro connubiali tempore ſolennis nuptialis benedictio celebretur, in ſolis arrhis, & quicquid pœnæ nomine permiſſum fuerit, dependendis, pœnam circumcludit.) Quoniam itaque ipſum contrarietatis velut vulnus hinc acrior ratio conſpicit, (quod enim poſt benedictionem dirimantur, in eo vera ſponſaliorum diſſolutio ſtatuenda eſt) ſancimus, ne prius benedictiones [14] celebrentur, quam legitimum matrimonii advenerit tempus, quod [15] in maribus decimumquintum [16], in fœminis decimumtertium expectat annum. Sic enim & benedictio tempeſtive fiet: & deſponſatis a ſe invicem divertentibus, quod perfectum matrimonium dirimant, a civili lege judicium quod eccleſiæ placitis non adverſetur, obveniet.

CONSTIT. LXXV.

* UT QUI VIGINTI [17] ANNORUM EST, HYPODIACONUS CREARI POSSIT.

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ univerſali.

SI ſacrorum decretorum ſanctio ad res civiles tranſiens, in illis ſæpe plus autoritatis quam ipſæ civiles de iisdem rebus tractantes leges habeant, quanto magis ſacra decreta in ſuis rebus civilibus legibus prævalebunt? At quid eſt quod dico? Sexta Synodus [18] vicenarium hypodiaconum ordinari poſſe ſancit: huic vero civilis lex contradicens, viginti annis quinque admetiri jubet. Nos itaque *uti ſacram* legem ſacer ordo ſequatur, convenire rati, ut ad hypodiaconatum, qui quidem eo digni ſunt, anno ætatis ſuæ vigeſimo admittantur, ſancimus.

CONSTIT. LXXVI.

* DE POENA [19] FALSUM TESTIMONIUM DICENTIUM SACERDOTUM.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ præconibus Dei (ſacroſanctis Apoſtolis nempe) ſacræ ſanctiones [20] adſcribuntur, ſacerdotes falſo juraſſe deprehenſos, ſacra dignitate privant [21]. Civilis vero reipublicæ moderatrices leges [22], ubi hujus rei conſtituendo tractatui incumbunt, falſum teſtimonium bifariam dividunt: & quod falſum dictum in cauſa criminali deprehenderint, remotione a ſacro ordine puniunt: qui vero in re pecuniaria falſum teſtimonium dixerint, hos ad tempus relegando, non autem penitus removendo puniunt. Nos igitur jubemus, *ut qui jurati* falſum teſtimonium, ſive in cauſa criminali, ſive pecuniaria tulerint, profani illi a ſacerdotio abſpellantur: at ſi ad falſum teſtimonium jusjurandum non acceſſerit, qui falſum veritatis ſpecie obtegere conati ſunt, in triennium [23] relegentur, (relegandi autem in monaſterium aliquod erunt, ubi illos ad arctiorem vitæ quandam normam vivere oportebit) delictique convenienti pœnitentia facta, in priſtinum ſuum reſtituantur ſtatum.

CONSTIT. LXXVII.

* DE FALSARIORUM POENA [24].

Idem Imperator eidem Styliano.

CUm in plerisque aliis, tum præcipue in legum tractatibus reprehendenda obſcuritas [25] eſt. Nam ſicubi alibi, illic certe diſtorto intricatoque dicendi genere vacare, rectèque informari oratione (ni fallor) oportet: non enim arcana quædam ſanctiones legis ſunt, ut a multitudinis intellectu remotæ eſſe debeant: ſed potius, ſi fieri poſſet, neminem illas [26] latere, neque virum, neque puerum, neque mulierem oportebat. Quippe quod id ad hominum mores in melius convertendos, communisque vitæ utilitates vel maxime conduceret. Ob id cum ad difficilem illum legalium capitum locum ſubtiliſſemus, ubi ipſis verbis quaſi legislator in eo quid diceret occultare voluiſſet, ita [27] comprehenſum eſt, *Falſarius in maximo delicto ſupplicio capitali afficitur*: cum quale tandem maximum illud delictum eſſe legislator ipſe exiſtimarit, non conſtet, illeque ejus rei intellectum non definitum præcidat: evidenter & definite illam orationem explanare nobis viſum fuit. Sancimus igitur, ut ſi ſtiusmodi quædam falſarius conſcripſerit, ex [28] quibus is adverſus quem falſum ſcriptum concinnatum eſt, mortis pœnæ ſubjiciendus ſit: ipſe falſarius pœnæ quam in alium machinari cogitarit, traditus decolletur.

CONSTIT. LXXVIII.

* NE AMPLIUS SENATUSCONSULTA FIANT [29].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUemadmodum & in aliis legibus, quæ ad communem rerum uſum nihil conferrent, fecimus, ut eas tanquam ſupervacaneas e legum corpore ſubduceremus: ita hic quoque facientes *eam* [30] *legem quæ Senatui* ferendarum legum poteſtatem facit, a legum quaſi republica fecerni ſancimus. Nam cum, ex quo Senatoriam adminiſtrationem Imperatoria Majeſtas ſibi vindicavit, inutilem illam eſſe judicari debeat: ſi cum utilibus conjungeretur, & ineptum & ſupervacuum eſſet.

CONSTIT. LXXIX.

* DE [31] POENA SACERDOTIS, DIACONI AUT HYPODIACONI [32], SI POST ASSUMPTUM ORDINEM MULIERI IN MATRIMONIUM JUNGATUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ ſemel Deo dedicata ſunt, ea deinceps auferri non oportere, ſancitum eſt: idque non ſolum in donariis, verum multo etiam magis in hominibus qui per ſacrum ordinem divinæ Majeſtati conſecrati ſunt, obſervandum eſt: tametſi (ut multi ſunt hominum lapſus) e ſtatu in quem tanquam honeſte victuri, allecti erant, peccatum dominio in ipſos ſuſcepto, exturbet. Non approbantes igitur veteris [33] legislatoris propoſitum, qui ſacerdotem, diaconum aut hypodiaconum, ſi poſt aſſumptum ordinem mulieri in matrimonium jungatur, omnino a clericali habitu diſcedere, atque ad profanam vitam reverti vult: illud decretum irritum facimus, ac vero ſtatuimus, *ut ab* ordine quem ante nuptias obtinuerint, ſolum recedentes, ſatis tamen pœnarum luere videantur, & nequaquam clericali habitu alioque eccleſiaſtico miniſterio, cujus quidem uſus illicitus non eſt, judicio priventur.

1 Fecit *Novell.* 123. *cap.* 29. *Novell.* 133. *cap.* 3. *l.* 19. *l.* 44. *C. de epiſc. canon.* 47. *Synod. in Trul. Synod.* 7. *cap.* 18. & 20. ubi de duplicibus monaſteriis. *Novell.* 123. *cap.* 36. 2 Ἐν τοῖς τῶν ἐκκλησίων ὑπερῴοις. Græci ſic. eſt vero ὑπερῷον domus editiore loco poſita 2. Harmenop. 4. §. 27. & 44. 46. 96. 3 Κατηχούμενοι, ut *inſt. eod.* Catechumenorum manſiones, 6. *Synod. cap.* 93. 4 In Trullo.

5 Quam Græci καθαίρεσιν. Scrimg. *hic.* 6 Ἀφορισμόν. *Scrimg.* Clericorum eſt, καθαιρεσις, de qua ſupra: monachorum & laicorum ἀφορισμός. 7 Ἐν τοῖς λεγομένοις κατηχουμένοις οἴκοις. *Scrimg.* ut *ſupr. eod.* κατηχούμενοι.

8 Benedicendi conjugibus morem obſerva. adde *Novell.* 89. *inſtr. eod.* 9 Στοιχ. *Scrimg.* legendum ρξ. id eſt, 99. 10 Sexta ſcil. *d. c.* 99. 11 Adulterium ſententia ſextæ ſynodi committit, qui alterius ſponſam ſtuprat. 12 *l.* 1. 2. 3. *C. de ſponſ.* 13 Vid. *d. l.* 3. 14 Τὰς εὐλογίας. 15 Pubertas in nuptiis definitur anno 14. & 13. non affebo, ſed plane expleto: adde Novellam Juſtiniani 100. *cap.* 2. *l. unicam C. Theod. de Carbonianis edictis.* Sine Teſtamentum nemo facere poteſt niſi 14. anno expleto, hoc eſt, 15. incepto 36. *Ecl.* 7. §. Harmenopul. 1. §. 3.

16 Legitimum nuptiarum tempus in maſculis & fœminis.

17 Hypodiaconus, creari poteſt, qui annorum eſt 20. dixi ad *Novell.* 16. *ſupr. eod.* adde Photium 1. *can.* 9. *can.* 15. *ſyn.* 6. *in Trullo.* 18 *In Trullo can.* 15.

19 Falſum teſtimonium dicentis ſacerdotis pœnam obſerva. Diſtinitio *can.* 24. *apoſt. & Nov.* 123. *c.* 20. adhibetur: non quodvis ob falſum teſtimonium clericos privari dignitate, ut canon 24. voluit, non ob falſum teſtimonium in criminalibus, ut *d. Novell.* Perjurio itaque ſolo privantur dignitate: non nudo falſo teſtimonio.

20 Θεσπίσματα, intelligit Canones, & quidem 24. qui Baſilianoni eſt 25.

21 Ἀκυρωτηρίου. *Scrimg.* 22 *Nov.* 123. *c.* 20. 23 Similis eſt pœna in *Nov.* 86. *in fin. infr.*

24 Falſi crimen non ſemper eſt capitale: & ita abrogatur *l.* 22. *in fin. C. de falſis*: *l.* 1. *in fin. ff. de falſis.* adde quæ dixi ad *l. ii. l.* 5. *l.* 22. *C. de falſis.* 25 Obſcuritas legibus inimica. 26 *l.* 9. *C. de legib.* 27 *d. l.* 22. 28 Deponens falſum in cauſa capitali, capitaliter punitur, Clarus 5. *ſent.* §. *falſum* 2. v. ex communi opinione refert falſum teſtimonium dicentem dolo, capite puniri: ad ſui defenſionem arbitraria pœna vel publicatione bonorum & deportatione, ſeu ad tricremes damnatione: in pecuniariis cauſis, plerumque reo linguam amputari, aut reum fuſtigari Vid. *annotata ad vers. ſed quare qua ſit pœna falſi.*

29 Senatusconſulta fieri prohibentur: & ita abrogatur *tit. C. de ſenatuſc. l.* 9. *ff. de legib. & ſenatuſc.* 30 *d. l.* 9.

31 Vid. Balſ. *c.* 6. *Extæ ſynodi in Trullo diſſ.* 32. *c. ſi quis eorum.* 32 Nuptias poſt aſſumptum ordinem contrahentis ſacerdotis, diaconi & hypodiaconi: Extenſio eſt canonis 25. Apoſt. qui eſt 26. apud Photium, quo ſoli lectores & cantores uxorem ducere ſeu habentur. & abrogatio *Novell. juſtiniani* 6. *c.* 5. *verſ. ſi autem aliquis presbyter*, qua poſt aſſumptum ordinem presbyter, diaconus & hypodiaconus nuptias contrahens ordine privabatur, febatque idiota. Hac Novella poſt aſſumptum ordinem duſta uxore, hujusmodi homines ordine ſuo quidem privantur: non tamen & clericali habitu, vel alio in eccleſia miniſterio. 33 *Nov.* 6. *c.* 5.

CONSTIT. LXXX.

* UT PURPURÆ SEGMENTA [1] ET PARTICULÆ IN PUBLICIS MERCIMONIIS SINT.

Idem Imperator eidem Styliano.

HAud ſcio qua ratione ſuperioris ævi Imperatores, cum ipſi toti [2] purpura veſtirentur, inducti fuerint, uti ne [3] qua omnino purpuræ [4] particula venundaretur, ſtatuerent, neque cuiquam talem colorem vendere aut emere permitterent. Ac ſane ſi integram [5] telam vænire illi prohibuiſſent, aliquam fortaſſe ejus faciendi non alienam a ratione occaſionem habuiſſe videri poſſent: at quod ſegmenta [6] atque fruſtula, quæ utilitatem atque uſum neque vendenti neque ementi inconvenientem præbeant, in mercimoniis eſſe prohibuerunt [7]: id vero quam honeſtam, & quæ ſubditorum invidentia vacet, illorum judicio prætendet cauſam? Nam quod aut Imperatoriæ Majeſtatis adverſetur eminentiæ, aut eam in communem uſum devocet, quid *quæſo* hinc exiſtat? Nos itaque iſti decreto non acquieſcentes, conſtituimus *ut purpuræ* [8] fruſta atque ſegmina, quæ magnificentiæ ſpecimen aliumve non prohibitum uſum ſubditis præbeant, tam divendi quam emi poſſint. Decet enim Imperatoriam Majeſtatem, cum aliis multis modis ſubditos beneficiis afficiat, eorundem magnificentiæ ne invideat.

CONSTIT. LXXXI.

* NE EX AURO [9] ET PRETIOSIS [10] LAPILLIS QUICQUAM CONFIERI IN UNIVERSUM NEFAS SIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

HAnc vero etiam legem [11] quæ mundo muliebri annulisque exceptis, aliquid aliud ex auro & gemmis conficiendi omnem prorſus facultatem adimit, ejusdem cum illa quæ de purpura tractat eſſe inſtituti animadvertentes, in eandem quoque cum illa conditionem reponimus. Non enim ſimpliciter ex auri materia quicquam in opificium præberi, ſed ſpecies operum prohiberi oportebat. Quoniam ne quod omnino ex auro & gemmis opus confiat vetare, manifeſta id ſe ſupra omnes efferendi cupiditas eſt. Jam vero, quod in quacumque re legem transgreſſus eſſe deprehenſus, tam gravem pœnam ſuſtinet (centum librarum auri mulctam quodque huic accedit, capitale ſupplicium dico) ut ea lex non ſummæ immanitatis eſſe putetur, qua ratione devitabitur? Quantam autem aliam abſurditatem in ſacris theſauris aliisque nonnullis rebus effectus pœnæ deſignet, non attingo. *Nos* itaque non ſimpliciter opus aliquod ex auro & gemmis confici, ſed illa opera quæ ſolis Imperatoribus permittuntur, quorumque uſus magnificentiæ Imperatoriæ Majeſtatis, ejusque neceſſitatibus deſtinatus eſt, prohibenda judicamus. Quare ſi quis vel monumentum facrum, vel aliud quiddam quod ſupra privatam dignitatem & honorem non ſit, conficere poterit, liberam ejus faciendi voluntatem habeto.

CONSTIT. LXXXII.

DE TESTAMENTO RESIGNATO [12].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ fortuito quodam caſu contingunt, eorum permulta nondum expenſa criminis nomine notantur: quæ eadem accuratius poſtmodum perſpecta, a nota abſolvuntur. At quale eſt quod dico? Perfæpe non de induſtria, ſed fortuito aut ferri aut lapidis jactu aliquis lædитur. Eo necdum diſcuſſo, qui jaculatus eſt, ſons judicatur: diligenti autem de eodem examine habito, quare ſuſpetur, nulla juſta ratio invenitur. Quamobrem quæ caſu eveniunt, ex circumſtantiis magis quam e rei natura judicari convenit. Verum quorſum hæc dicuntur? Quoniam teſtamentum poſtulante neceſſitate apertum [13], quum interdum deinceps refignatum relinqui contingat, aut ipſum tempus (quod fieri aſſolet) ſigillum conſumat, fide quam ſignatum haberet deſtituatur, indeque incertitudo quædam iſtiusmodi teſtamento inſidietur: teſtamentis alio modo ad fidem confirmatis ſubvenire viſum eſt, ac jubemus, ut [14] *licet ad fidem faciendam illis ſigillorum ſalvorum non ſit, ſubſcriptiones tamen, ut rata maneant, teſtimonio præſtent.* Quemadmodum enim teſtamenta nondum aperta, quanquam (ut fit facile) ſigillum illæſum ſervatum non ſit, ſubſcriptiones confirmant [15]: ſic illa etiam quæ poſtmodum aperta ſunt, aut negligentia non obſignata manſerunt, aut quibus diuturnitate temporis ſigilla perierunt, ne fide priventur, dummodo ex ſubſcriptionibus fides illis ſuperſit, juſtum putamus. Illud porro inſuper ſancimus, ut ſi judicis ſecordia, ne teſtamentum denuo obſignaretur, factum ſit, ipſi in ſocordiæ pœnam duodecim librarum multa imponatur.

CONSTIT. LXXXIII.

UT AD TRIENTES USURAS PECUNIA LICITE MUTUETUR [16].

Idem Imperator eidem Styliano.

SI a Spiritus legibus ita ſe mortale genus regi ſineret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id vero & decorum & ſalutare eſſet: at quoniam ſe ad Spiritus ſublimitatem elevare, divinæque Legis vocem amplecti non cujusque eſt: ac vero quos huc virtus ducat, numero valde pauci ſunt: bene ſeſe adhuc res haberet ſi ſaltem ſecundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ uſuræ, ubique ſunt a Spiritus decreto [17] condemnantur. Id ſciens [18] pater noſter æternæ memoriæ Princeps uſurarum ſolutionem ſanctione ſua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius (quem tamen finem legislator propoſuerat) ſed contra in pejus vergit. Qui enim [19] antea uſurarum ſpe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere poſſint, in eos qui pecuniis indigent difficiles atque immites ſunt. Quinetiam ad facile jurandum, quodque id fere conſequitur ad jusjurandum abnegandum, id occaſionem præbuit. Breviter, propter redundantem in humana vita perverſitatem, non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit. Quanquam *igitur* ex ſe legem culpare (quod quidem etiam abſit) nequeamus: propterea *tamen* quod humana natura (quomodo diximus) ad illius ſublimitatem non perveniat, egregium illud præſcriptum abrogamus: ac in contrarium ſtatuimus, ut æris alieni uſus ad uſuras procedat, idque quomodo veteribus legislatoribus placuit, ad trientes centeſimæ nempe, quæ [20] quotannis in ſingulos ſolidos ſingulas fœneratoribus ſiliquas [21] pariunt.

CONSTIT. LXXXIV [22].

UT NEGOTIARI, ÆDIFICARE, MUNERAQUE ACCIPERE URBIS MAGISTRATIBUS LICEAT [23].

Idem Imperator eidem Styliano.

QUæ a ſuperioribus [24] de magiſtratibus regiæ urbis decreta ſunt (*ne videlicet illi neque mobile aliquid, neque immobile emant, neque ad ædificandum accedant, niſi Principis permiſſu: inſuper vero, ne, ſi qua magiſtratus tempore munificentia accedat, hæc rata fiat, extra quam ſi donator ſinito magiſtratu ſcriptivæ auctoritate illam confirmet, aut poſt magiſtratum quinque annis elapſi ſint*) hæc, quanquam hujus contemplatione, ne [25] vis locum inveniat, optima ratione conſtituta ſint: quia tamen alio etiam modo violentiæ viam præcludere facile eſt, nobis non videntur eſſe neceſſaria. Quocirca etiam abrogata illa eſſe volumus: *idque ideo* præſertim, quod ex quo tranſgreſſione illorum indies *magis atque magis* impunita relicta, pœna exerceri deſiit, etiam ante noſtrum decretum nullam vim habuerint. At qua de cauſa illa neceſſaria non ſunt? Quod cuique tam pauperi quam diviti (cum iis qui apud hanc urbem *habitant*, compellare Principem, eique ſupplicare expeditiſſimum ſit) liceat, ſi quam vim ſuſtineat, ne omnino a violento magiſtratu conficiatur, precibus a Principe impetrate: adeo ut nulla neceſſitas ſit, ut quemadmodum in provinciis omni auxilio vacuis, ita etiam in Urbe, ubi abunde auxilii eſt, hæc adeo exacte requirantur. Sancimus itaque, *ut ſecundum* præſentem rerum ſtatum tum emere, tum ædificare magiſtratus [26] poſſint, & in ſuſcipiendis quæ ſponte offeruntur muneribus [27], criminatione vacent, quippe [28] cum, qui

1 Purpuræ ſegmenta quæ τριβωνία J. *cod.* in publicis commerciis permiſſa, videntur abrogari. *l. ult. Cod. de veſtib. holober.* 2 Ἀλικεῖται ὁλοπόρφυροι. *Scrimg.*

3 *l.* 1. *C. quæ res venire non poſſ. l. ult. C. de veſtib. holob.* & antea a Cæſare purpuræ uſus interdictus præterquam Senatoribus qui in magiſtratu eſſent, *Dion* 49. & Neronem quoque matronam purpura ulam non vetbe tantum, ſed bonis exuiſſe refert Suiton.

4 Ἀλικεῖον τι μέρος. 5 Ὁλόπηχυν ὑφασμα. 6 Τρίπηχα δὲ καὶ μέχρι δεκαπέντε. *Scr.* Tiberium Pofteriorem Cedrenus ſcribit permiſiſſe purpuræ ἀνδκτυλίους ἕξαπλα ἐν ταῖς ἐσθῆσι αὐτῶν κεκλῶν ἔχειν φάρεν· ἐξικε dixit quaſi oras & ornaturas. Iſidorus ſegmenta, *ad hiſt.* Liv. 11. fanctum mulieribus ut aurefi ſegmentis uterentur. Arator loquens de pontificis habitu in Exodo a Moſe præſcripto. Qui ſegmentatus umeralis altaribus adſtit. ſegmenta, limbi, ſeu inſtite, *l.* 23. §. 1. *ff. de auro.* adde Cujac. 12. *obſerv.* 24. 7 Intelligit, ut opinor, *l. pen. C. de veſtib. holober.* 8 Τὰ ὀλιγοστὰ μὲν μέρη καὶ τιμιώτατα. *Scrimg.*

9 Ex auro vel pretioſis lapillis aliquid fieri prohibetur. videtur itaque revocaro conſtitutionem Aurelitani, qua permiſſum fuerat, ut aureis, qui vellent & menſis uterentur & poculis, autore Vopifco. Abrogatur autem lex unica, *verſ. nullis. Cod. nullis licere in frenis.* 10 Lapilli pretioſi, margaritæ, ſmaragdi, & hyacinthi: aliis enim gemmis frena, equeſtres ſellas & balteos ornare permiſſum *d. l. un.* 11 *d. l. un.* 12 Περὶ τῆς ἀυτομολίας διαδίκης παρὰ τῷ ἀρχοντι. *Scrimg.* hoc innuit, Teſtamentum non ideo non valere, quod ſigna caſu corrupta ſint: ſi modo de teſtamenti fide teſtium ſubſcriptionibus conſtare poſſit. 13 Vid. *tit. ff. teſt. quemadmodum aperiantur.* 14 Scrimgerus ita legit, κἂν μὴ τῆς σφραγῖδος ἡ κυρία πίστις τῆ διαθήκη ἐξ τὴν ἐξετασίαν, αἱ ὑπογεγραμμέναι ὄνματα πρωτεύουσιν, μὴ διαμαρτυρεῖν τὸ ἴσιον δέκαιον κυρίαν· qui locus pucior extat apud Cujac. 17. *obſerv.* his verbis, διαδίκη, *ſic τὴν ἀξιοπιστίαν* &c. id eſt, Jubemus etiamſi ſigilla teſtamenti non ſuperſint, ſi idoneam fidem ſubſcriptiones teſtamento adhibeant, ne quid ob eam rem fides teſtamenti infirmetur. 15 *l.* 30. *ff. qui teſtamenta facere.*

16 Uſuræ trientes hic permituntur, & ita abrogatur Baſilii conſtitutio, qua vetitæ fuerunt in univerſum uſuræ. *inſtr. eod.* 17 *Exod.* 22. *Lac.* 6. adde Clar. 5. *ſent.* §. *uſuras* 20. 18 Uſuræ quomodo interdictæ a Baſilio: cujus nomen videtur legendum apud Harmenop. 3. *tit.* 7. §. 27. ubi tamen legitur Leo. 19 Hic fatis oſtenditur, in hac hominum vita uſuras vix prohiberi poſſe. 20 Obſerva ex hoc loco, & ex Ammiano *l.* 2. *C. Theod. de uſur.* & *Novella Juſtiniani* 32. *c.* 1. *tit.* 3. *in fin. gulos ſolidos annuas ſiliquas*: definitionem uſuræ trientis. 21 Ὅπερ ἐστὶ κεράτιον ἓν ἐφ' ἑκάστῳ νομίσματι. *Scrimg.*

22 Harmenopulus 3. *tit.* 6. 3. περὶ ἀρχόντων *in fin.* hanc conſtitut. facit 40. 23 Magiſtratibus urbanis hic permittitur, negotiari, ædificare, & muniera accipere, & ita abrogatur Juſtiniani lex unica *Cod. de contractib. judic.* diſtinctionem adhibita inter urbanos & provinciales magiſtratus. Videtur tamen hæc Nov. abrogari a Romano ſeniore *cap. 1. infr.* 3. Harmenop. 3. *c.* περὶ ἀρχόντων. 24 A Juſtiniano in *d. l. un.* 25 Vid. *l.* 11. *Cod. de his qui ve.* 26 Urbani ſcil. ut indicat paulo ſequentia, inſcripto. Idem tamen de provincialibus conſtitutum refert a Leone Harmenopulus 3. *tit.* 3. *cap.* 13. *in fin.* ubi & ſolum excipit τριπλοῦν, qui Mercurio dux exercitus: Reidano Harmenopuli interpreti Tribunus militum dicitur.

27 Adde *l.* 6. §. 3. *ff. de offic. proconſul l.* 18. *ff. de off. præfid.* 28 Scrimg. ita habet, *ἐπὶ μὴ ἀποφυγὼν τὸν ὑφυπατικὸν τὸ βίκιον, ὅπερ τι συμβαίη τούτων, ἐπὶ ἀποφυγὼν ἐπὶ τὸ πρὸς βασιλέα ἐπιφέρεται*· Cujac. vero 17. *obſ.* 32. *τὸν ὑφυπατικὸν τὸ βίκιον ἐν ἀπαιτεῖ ἀποφυγὼν ἐπὶ τὸ πρὸς βασιλέα ἐπιφέρεται*· eo ſenſu, non deeſſe auxilium his quibus vis infertur, cum poſſint principem invocare.

vim sustineant, quandocunque tale aliquid incidat, his supplicando Principi illam effugere integrum sit. De provinciarum autem magistratibus illud insuper statuere visum est, ut præfectus magistratus sui tempore neque quicquam emat, neque in suum usum extruat, neque denique dona libere admittat. Alii vero minores magistratus, relata ad præfectum re, ipsius judicio, aut removeantur, aut administrationem expleant.

CONSTIT. LXXXV.

UT PATRES [1] QUI NUPTIAS NON ITERANT, UNIUS LIBERORUM PORTIONEM CAPIANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Quoniam maritis cum liberis ab uxoribus relictis, quid de donatione propter nuptias statui debeat, non præscripsimus: illam autem donante consuetudine præmorientes uxores capiunt, nihil in hoc nos consuetudinem innovandam putantes, statuimus, ut *quemadmodum* hactenus comparatum legibus fuit, mulieribus donatio propter nuptias detur: viris autem, si iterum matrimonium contrahant, nihil accipere liceat: sin prius matrimonium venerentur, in remunerationem hujus honorificæ voluntatis, ipsis unius liberorum portio fecernatur: idque hac ratione, ut si illa donationem propter nuptias vel æquet [2] vel exuperet, eo quod aut lucrum, aut *saltem* nullum damnum sentiatur, hac accepta illi contenti sint: si vero non exæquet atque minor sit, neque de suo quicquam dent, neque e *diverso* ex mulieris bonis quicquam accipiant.

CONSTIT. LXXXVI.

* DE POENA EPISCOPORUM, SACERDOTUM, ET CLERICORUM QUI SE ADVOCATIONIBUS, SPONSIONIBUS, REDEMPTURIS, ALIISVE SIMILIBUS DEDUNT [3].

Idem Imperator eidem Styliano.

Qui a divina bonitate ad divinum sacrosanctumque altare delecti sunt, hos non modo a peccati turpitudine mundos esse, verumetiam a communis vitæ negotiis & molestiis vacare decet. Sicut enim alia incontaminati sacrique cultus monumenta vulgari contrectatione profanari non licet: ad eundem modum neque animata immaculati sacrarii ornamenta communi usu dedecorari, sed in quem ordinem consecrata sunt, in eodem consecrationem puram conservare convenit. Admodum igitur decenter Apostolorum, præconum Dei, decretum, episcopos, sacerdotes, & clericos, qui se advocationibus [4], sponsionibus [5], redemptoris [6], idve genus aliis [7] rebus dedunt, sacro ordine denudat. Qui enim attributum sibi a sacrosancto Spiritu dignitatem adeo dehonestant, & quantum in ipsis est, sublimitatem gratiæ deprimunt, merito cujus beneficii magnitudinem non sentiunt, eo, ut indigni, privandi judicantur. Veruntamen quia nunc temporis hominum genus, quam ut ad constitutæ a divinis iitis legislatoribus vivendi rationis apicem pertingat, imbecillius est: non ipsis (ni fallor) displiceat, si quatenus id delictum omnino venia indignum non est, modicam quandam ipsi veniam impertiam. Certe idcirco, non quod contrarium (quod absit) statuere, sed potius quod sacram sanctionem sequi, nullasque illis qui ab illa condemnantur, excusationum tergiversationes relinqui velimus: decernimus, ut si aut primarii [8] inferioresve sacerdotes, aut omnino clericus quispiam, vel præstando [9] in litibus patrocinio, vel spondendo, vel alio simili modo de sui ordinis dignitate detrahant, excommunicentur, & ad aliquod tempus a celebrandis sacris superfedeant. atque ubi ita pro delicto dignam pœnitentiam egerint, promisso facto, fe ab humanorum negotiorum commercio pro viribus deinceps mundos conservaturos, ad sacra tractanda denuo introducantur: & si iterum iisdem rebus fe polluere deprehendantur, omnimodo ut profani & indigni a sacris functionibus abstineant.

CONSTIT. LXXXVII.

* DE ECCLESIASTICORUM ALEA [10] LUDENTIUM POENA [11].

Idem Imperator eidem Styliano.

Jam vero qui sacri ordinis homines aleæ [12] vacant, neque hi rem modica aliqua pœna dignam audent. Quid ita? Nam cum tranquilla mente animoque a contemplandis rebus divinis immoto, quantum humanæ naturæ possibile est, summo isti bono inhærefcere deberent: e contrario ad juveniles lusus deproperant. Quos etiam a sacerdotio succidi, secundum divinum sacrosanctorum Apostolorum [13] decretum, par est. Verum quoniam id, ipsum etiam præscriptum mitigat, ut qui non desistunt, pœnam subituros addat: statuimus nos quoque, *ut qui* aleæ lusu sacram sortem contaminant, in monasteria relegentur, (quam tamen relegationem triennale [14] tempus finiat) *& quando* delictum satis expiatum videbitur, in pristinum statum restituantur. At si rursum in fritillo vane tempus terere instituant, tanquam piaculares ex sacrosancto ecclesiastico statu omnino exturbentur, ab eoque profligentur.

CONSTIT. LXXXVIII.

* CELEBRIBUS QUIBUSDAM IN ECCLESIA VIRIS FESTI DIES CONSTITUUNTUR [15].

Idem Imperator eidem Styliano.

Venerabili sacrosanctorum Apostolorum decreto [16] (quod promulgatum est ad gloriam & honorem sacratissimorum dierum, quibus omnium Domino fertamur, & illorum qui horum ipsorum celebrium legislatorum aliorumque victorioforum pugilum, qui morte sua impietatem in fugam verterunt, confectatio. nem significant) quum hoc quod conjungatur dignum sit, ut nempe horum divinitoquorum virorum etiam, qui post illos in ecclesia claruerunt, luminariumque instar ecclesiæ firmamentum rebus gestis atque documentis illustrarunt, memoria solenniter celebretur: nos quod deest, adimplentes, sancimus: Ut horum etiam sacri confectationis dies convenientibus honoribus colantur, quorum hæc sunt nomina: *Athanasius* [17], inclyti ille in principibus Dei sacerdotibus nominis: *Basilius* [18], regium illud ecclesiæ decus: *Gregorius*, cognomine Theologus [19]: *Gregorius* [20], dulcis ille & illustris ecclesiæ fons: *Joannes* prorsus illud spiritus aureum [21] os: unaque cum iis *Cyrillus* [22] & *Epiphanius* [23], qui præclaris facinoribus gloriaque illis pares sunt.

CONSTIT. LXXXIX.

* NE MATRIMONIA CITRA [24] SACRAM BENEDICTIONEM CONFIRMENTUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

Quemadmodum adoptionem promiscue habitam neglexit vetustas, quam tametsi sine [25] precibus sacrisque ceremoniis peragi lege permitteret, non tamen illam se parvi pendere putabat: ita & absolutam matrimonii constitutionem, dum id citra [26] jam receptam [27] benedictionem [28] iniri sineret, neglexisse videtur. Sed veteribus istius voluntatis fortasse ratio inveniri possit: a nobis vero, cum divina gratia ad honestius multo sanctiusque vitæ institutum jam res comparatæ sint, neutrum dictorum negligi convenit. Itaque *quemadmodum* adhibitis sacris deprecationibus adoptionem perfici præcipimus [29]: sic sane etiam sacræ benedictionis [30] solemnio matrimonia confirmari jubemus. Adeo, ut, si qui citra [31] hanc matrimonium ineant, id ne [32] ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa consuetudine matrimonii jure potiri velimus. Nihil enim inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias. Conjugalis vitæ desiderio teneris? Conjugii leges serves

1 Secundas nuptias non contrahens pater portionem unius liberorum capit, *ut hic.* idem de matre constitutum fuit, *Nov.* 22. *supr. cod.* 2 Vid. *Nov.* 20. *supr. cod.*

3 *Nov. Just.* 123. *c.* 6. *l.* 17. *Cod. de episc. Can.* 6. 19. 80. *apost.* Phot. 8. *Nomocan.* 13. 4 Συνηγείας. Scrimg. *Nov. Justin.* 123. *c.* 6. prohibet episcopum ἢ διακτεῦν ὑπὲκλὰ ἄλλης ἄλλας τινας. 5 *Can.* 19. *apost. d. c.* 6. 6 Μισθωτεύειν. Scrimg. eodem modo *Justinianus Nov.* 123. *c.* 6. vetat episcopum & clericum μισθωτὸν τινῶν ἢ ἀπλῶς κτήσεων εἶναι. *can.* 3. *can.* 4. *Synodi Chalcedonensis: c.* 16. *synod. sept. Carthaginensis.* 7 Secularibus. *canon.* 6. *apost.* publicis administrationibus. *can.* 80. *apost.* 8 Ἀρχιερεῖς ἢ ἱερεῖς. 9 Διὰ συνηγείας. Adde Photium 8. *Nomocan.* 13.

10 Dixi ad *l.* 21. *l. ult.* §. 1. §. 3. *ibi*, *aut cubicare. C. de episc. aud. l.* 3. *C. de alearibus. Novell. Justin.* 123. *c.* 10. adde 3. *Ecl.* 2. *c.* περὶ τῶν κληρικῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων. adde Photium 9. *Nomoc.* 27. 11 Emendat *canones* 41. *apostol.* quo aleatores episcopi, aut presbyteri penitus deponuntur. Depositionis enim loco trienalis infligitur in monasterium relegatio. 12 Κύβους. Scrimg. adde *tit.* 5. 3. *ibi*, *aut cubicare.* 13 *Canon.* 41. 42. *apost.* 14 *Ut Nov.* 76. *supr. cod.*

15 Adde *Nov. Emanuelis Comneni c.* 2. *infr. Balsamonem ad* 7. *Photii* 1. 16 De die dominico vid. *can. apostol.* 65. Falchasii *c.* 7. Pentecostes *c.* 36. Festis *c.* 52. 68. 70. 17 Alexandrinus, cujus extat symbolum. 18 Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ. 19 Ὁ τῆς θεολογίας ὑπερμάχος. 20 Nyssenus forte. fuit & alius cognomento Thaumaturgus, item & alius Damascenus.

21 Τὸ πάγχρυσον στόμα. intelligit Chrysostomum. 22 Alexandrinus, *p.* 3. §. 3. *c. de summa trinitate.* 23 Episcopus Constantiæ, provinciæ Cypri.

24 Adde 4. Harmen. 4. *Nov. Alexii Comneni c.* 9. *infr.* 25 Χωρὶς εὐχῶν καὶ τελετῆς ἱερᾶς. *Scrimg.* adde *Nov.* 24. *supr. cod. Nov.* 98. *in pr. infr. cod.* 26 Imo, non citra benedictionem. vid. quæ dixi *Nov. Just.* 74. *c.* 4. §. 1. *ibi*, *ille autem adhibens tres aut quatuor extitit reverendissimorum clericorum*, *attestationem consecutus est.* 27 Usu fcilicet. 28 Νοεσιεργίας εὐλογίας. 29 *Nov.* 74. *supr.* 30 Jubet Leo benedictionem nuptiis adhiberi: quem ritum probat ex adoptionis solennibus *d. Nov.* 24. illud conflat, apud Ethnicos sacramenta ignis & aquæ nuptiis adhibita, *l. pen. ro. fin. ff. de don. inter virum & uxorem.* Apud Christianos Deus nuptiarum conciliator creditur *Marc.* 10 conjugia precibus & benedictione confirmata fuisse apud veteres innuit historia Tobiæ *c.* 7. 8. & Eusebius refert 30. *q.* 5. *c.* 1. Non aliter legitimum conjugium esse, quam si tuo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote factis benedicatur. & Tertull. *ad uxorem.* Unde sufficiam, inquit, ad enarrandam tantam felicitatem matrimonii, quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant? Concilio Carthaginensi 4. *c.* 13. constituunt, ut sponsus & sponsa in templum deducantur ad benedictionem sacerdotis recipiendam. Ambrosius 9. epist. 70. Ipsum, inquit, conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oportet. Scholiast. Harmenop. 4. *tit.* 4. negat nudo consensu matrimonium contrahi: ita ut nisi Sacrum Dei verbum fuerit recitatum, neque nuptiæ consistant, neque prohibeantur contrahentes a se mutuo separari. Idem probatur ab Innocentio III. *c.* 4. *extra. de sponsalibus.* Illud notandum est, proclamationes (quas Bunno Longobardico vocabulo appellat. *c.* 27. *extra. de sponsitib. c. ult. de clandestin. desponsat. c. ult. qui matrimonium accusare*) in ecclesiis fieri solitas. Pompam quidem non requirit in nuptiis *l.* 22. *C. de nupt.* fed tamen eodem *tit. l.* 24. dicitur, non aliter conditio nuptiarum evenire, quam si nuptiarum accesserit festivitas. Tridentina synodus *sessione pen.* requirit præsentiam parochi & duorum vel trium testium. Rogerius Rex Neapolit. *constit.* 22. matrimonia fine facerdotali benedictione publica (maxime inter nobiles) vult esse clandestina & illicita: nec illo casu testamento vel intestato, nuptias hujusmodi contrahentibus, succedi: mulieres ipsas dotes amittere; niti viduæ fint & nubant. adde *de clandestinis matrimoniis Extr.* De clandestinis nuptiis dicam ad *l.* 7. *C. de nupt.* 31 Ἱερᾶς πομπῆς μακτυρίᾳ. Scrimg. ut fuperius dixit χωρὶς τῶν καὶ τίτλος ἱερᾶς, & δίχα τῆς τοιαύτης μέσης εὐλογίας. 32 Non eft matrimonium cui facrorum benedictio defuit.

neceſſe eſt. Diſplicent matrimonii moleſtiæ? Cœlebs vivas, neque matrimonium adulteres, neque falſo cœlibatus nomine culpam præ-texas.

CONSTIT. XC.

* UT QUI TERTIUM [1] MATRIMONIUM CONTRAHUNT, SACRI CANONIS [2] POENAE [3] OBNOXII SINT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Oportebat nos, cum divina manu formati menteque ac ratione præditi simus, quorundam brutorum præstantiæ non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehenſione vacat, neque a justis vituperationibus libera eſt: ſed tanto obnoxior, quantum brutali naturæ rationabilis prudentia antecellit. Oportebat (inquam) homines, cum in aliis, tum præcipue in caſtitate matrimoniali a brutis [4] non vinci. Multa autem brutorum animantium genera [5], conjuge mortuo, perpetuam viduitatem amplectuntur, alterisque nuptiis priores velut congeſta terra obtegere nolunt. Verum quoniam hanc imbecillitatem turpem non eſſe (quanquam turpiſſima ſit) exiſtimans natura, primo matrimonio contenta non eſt, ſed nullo pudore tacta ad ſecundum etiam procedit: quin cum illam hic ſaltem ſiſtere deberet, non tamen id facit: &, quanquam per ſacram legem non liceat, a ſecundo matrimonio ad tertium prorumpit: haud dubie conſtitutam in tertium matrimonium pœnam, quod non exerceatur, contemptui habens: idque eo etiam magis quod civilis lex, qua neſcio de cauſa, Spiritus pœnam conſtituentis decreto non conſentiat, ſed hos a reprehenſione porro liberat, qui poſt alterum matrimoniale conſortium a matrimoniis abſtinere nolint: idcirco nos quæ Spiritui placent ſequentes, ſtatuimus, *ut qui* ad tertium matrimonium pervenerint, pœnæ quam in ipſos facer canon [6] promulgavit, obnoxii ſint.

CONSTIT. XCI.

* UT CONCUBINAM HABERE NON LICEAT [7].

Idem Imperator eidem Styliano.

Neque minus ea lex [8], quæ probroſe cum concubinis immiſceri non erubeſcentibus id permittendum judicavit, honeſtatem ſuſque deque habuit. Ne ergo hoc legislatoris erratum dedecore noſtram rempublicam afficere ſinamus. Itaque lex illa in æternum ſileto. Ab illa enim non modo religionis [9], verumetiam naturæ injuria ſecundum divina Chriſtianisque convenientia præcepta prohibemur. Et quidem ſi cum fontem habeas, fobrie inde haurire divino præcepto moneare: qua ratione, cum puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis? Tum tametſi fontem non habeas, rebus tamen vetitis uti non potes. Cæterum vitæ conſortem invenire difficile non eſt.

CONSTIT. XCII.

* DE POENA EJUS QUI ALIQUEM DEDITA OPERA EXCÆCAVIT [10].

Idem Imperator eidem Styliano.

Tametſi aliter quam veteres leges [11] ſanciant, de eo qui alteri violentis manibus oculos effoderit, cum ipſe judicio interfecit, a nobis ſententia lata ſit: numquam tamen in legem illam transformare animus fuit. Nonnihil enim miſericordia moti (id quod ipſa res etiam indicat) tunc ita judicavimus: Quoniam oculi, ei qui illos amiſiſſet, reſtitui non poſſent, eum qui id damni dediſſet, quanquam qui idem pateretur, dignus eſſet, in eandem eſſe cæcitatem conjiciendum non putavi. Interim tamen tantam pœnam conſtitui, ut qui oculos eruit, ejus ſigna ferat: & cui eruti ſunt, in tanta calamitate adeoque profunda cæcitate, ex laboribus ejus, qui illa ipſum affecit, aliquam conſolationem habeat. Verumtamen, licet ita judicatum eſſet, ex re judicata legem facere (quemadmodum dixi) non tamen animus erat. Sed quoniam qui [12] inter ſacra noſtra officia relatus eſt (cujus ego qua ratione poſtulationem rejiciam?) illam ſententiam, quod mitis ſit, inter leges collocari petit, quo deinceps, ſi quando tale quippiam incidat, qualiter in præſenti in injurium pœna conſtituta eſt, taliter ea res dijudicetur: poſtulato paremus, judicialeque decretum legis auctoritate donamus. Si quis ergo cujusquam viſum læſerit, hunc, ſi unum oculum ademerit, unc ſimiliter eodemque privari, ac talionis pœnam ſubire jubemus. Si vero ambobus oculis maleficas manus injecerit, quoniam hic pœnæ æqualitas, neque cui nocitum eſt, profit, (quæ [13] enim in hoc cæco utilitas eſt, ſi alius etiam cæcus

1 De tertiis nuptiis, vide conſtitutionem Porphyrogennetæ *Nov.* 1. *c.* 2. *verſ. ut autem.* 2 111. ſc. Neocæſarienſis. 3 Tempus aliquod pœnitendi Bigamis & Trigamis imponitur. Illud adjiciendum *d. c.* 3. *& c.* 7. *quidem tres, vetiti pessyteros interelle nuptiis ejus, qui ſecundo aubit. privabant enim nonnulli benedictione ſecundas nuptias.* vide Angeli *ſer.* 243. Ambroſ. *in cap.* 7. *1. ad Corinth. & in* 3. *cap. prima ad Corinth. concilium Lateranenſe ſub Alexandro* 3. *tit. de ſponſ. impub. c.* 1.

4 Hinc illud Nazianzeni, τὸ πρῶτον συνοικέσιον, νόμῳ· τὸ δεύτερον, συγγνώμῃ, τὸ τρίτον παρανομίᾳ τὸ τέτρατον, χοιρώδης βίος. 5 Ut turtures.

6 *Canon.* 3. 7. Neocæſarienſ. *synod. l.* 31. *q.* 1. *c. de bis qui. Balſamo c.* 4. *ad Amphilochium*, ubi vetus ecclesiæ mos *Balſamonem.*

7 Concubinam habere non licet, *ut hic.* & ita abrogatur *tit. ff. & Cod. de concubinis. l.* 13. *ff. ad L. Juliam de adult. & ſtupris.* Olim quidem conſtante matrimonio, concubinam habere non licuit. *Nov.* 18. *c.* 5. *Nov.* 89. *c.* 12. §. 5. Cæterum concubina a meretrice diſcrepat: concubina unius tantum conſuetudine utitur: meretrix vero pluribus. Concubina cum uno tantum peccat, meretrix cum pluribus. *Balſamon ad canon.* 26. *apoſt. Baſilis ad Amphilochium.* Goth. Vid. Goedd. *ad l.* 144. *ff. de V. S.* Anſ. *ad* 8. *ff. & C. de concubinis.* 9 Concubinatus jure divino reprobatur. adde Clar. §. *fornicatio.* vid. *ff in pr.*

10 Extat epitome apud Harmenop. 6. *tit.* 1. §. 6. explicare videtur poenam talionis, de qua *Exod.* 21. 11 Moſis ſortis, *Exod.* 21. aut XII. tabular. de qua ad eadem dixi. 12 Ὁ τῶν ἐν τοῖς θείοις ἡμῶν ἀποθέσεων. Scrimg. forte intelligit ſacrorum officiorum magiſtrum. 13 Ut deſit utilitas excæcato, intereſt tamen excæcantem alium, pœnam graviſſimam talionis pati, ut ceteri ab hujusmodi petulantia, meru graviſſimæ pœnæ deterreantur. 14 Qua pœna divet afficiatur, qui ambos

oculos alteri effodit. 15 De pœna unum oculum alteri excæcantis. Sic unus oculus pro primo furto eruebatur apud Langobardos, *l. ſi quis latro. de latronibus in legibus Langobardorum.* 16 Qua pœna afficiatur pauper, qui ambos oculos alteri effodit.

17 De pœna excæcationis attriſque oculi. Eadem olim pœna plectebantur ſacrilegi, *l.* 11. *in fin. ff. ad l. Jul. pec.* Wiſigothorum lex ſtatuerat oculos erui patri, vel matri, qui abortu necem teſtati uteri procuraſſet, *l. ult. de exec. liom. pa. l.* 6. *C. Iſidigeld. tit.* 3. Lacrenſium quoque lege lata a Zaleuco adulterum utroque oculo privari oportebat. *C.* Val. 6. Exempla regum & principum excæcatorum pete ex hiſtoricis. 18 Qua pœna afficiatur, qui alteri excæcando vel manuum opem præbuit, vel conſilium dedit.

19 Adde 4. Harmenop. 1. §. 27. 20 Videtur reduci quodammodo verticulus 13. 14. & ſeq. *Deut.* 22. Severior tamen fuit lex Moſis, ut quæ ſponſam ſtupri compertam lapidibus vellet obruit: ſed tamen hæc conſtitutio pertinet ad ſponſam non tantum ſtupri, ſed gravidam compertam, vid. Harmenop. 4. *tit.* 2. περὶ λόστων μοιχείας. adde quæ ſcripſi ad *l.* 11. §. 1. *ff. de contr. empt. l.* 1. §. *ſi quis virginem.* 5. *ff. de adl. empt.* 21 *l.* 5. §. 1. *C. de ſponſalib.* 22 Huius Noveſlæ caſum admodum ſpecialem eſſe colligo. 23 Quod erat conſtitutum *d.* §. 1. 24 Hinc colligere poſſis, cum meretrice, niſi reſpiciat, connubium non eſſe, *c. l. c. non eſt culpandus* 32. 6. 1. *cap. inter opera de ſponſalibus c. ultim. de condit. apoſtol.* 25 Facit *Nov.* 31. 3. *cod. Nov. Juſtin.* 22. *cap.* 15. §. 2. *Nov.* 117. *cap.* 8.

26 *Nov. Juſt.* 105. 27 Et miſſilibus. 28 Adde *Nov.* 47. *& 78. ſupr.* 29 Ἀνακάθαρσις. hoc ſatis innuit Leonem autorem eſſe τῶν βασιλικῶν repetitæ prælectionis ſeu ἀνακαθάρσεως, vid. Cujac. 6. *obſ.* 9. 30 *d. Novell.* 105. *& ſimilar.*

CONSTIT. XCIII.

* UT SI SPONSA EX ALIO GRAVIDA [19] DEPREHENDATUR, SPONSALIA RESCINDI POSSINT [20].

Idem Imperator eidem Styliano.

Quandoquidem veteres qui de ſponſalibus tractarunt, quo neſcio modo ea de re non abſolute præceperunt (ſive quod hoc de quo nunc fanciturl ſumus, inter cauſas diſſolvendorum ſponſalicrum comprehendere noluerint, ſive quod tale quiddam quale impræſentiarum exortum legis promulgationem requirit, tum nondum inciderit) nos, quod hac in parte deeſt, adimplentes, ſponſaliorum tractatum ad juſtam abſolutionem deducimus. Vetus autem conſtitutio [21] ſponſalia dirimit, aliis atque aliis de cauſis: ob diverſam videlicet de religione opinionem, & ſi alter infaniæ morbo capiatur, ac inſuper ob nonnullas alias, atque harum utramlibet utercunque deſponſatorum haberet, ſponſalia divelli jubet. Quod vero nunc in conſiderationem noſtram venit, ſive tunc temporis, uti diximus, nondum [22] evenerit, ſive legislatores non eventurum arbitrati ſint, ſive qua alia cauſa ejus ſilentio prætereundi fuerit, inter dictas cauſas non commemoratur. Eſt autem iſtiusmodi: ſponſam quandam furtivis complexibus ab alio eſſe gravidatam, cum illa interim ſponſalem præſe caſtimoniam ferret, ſponſaliorum tempore compertum eſt. Atque hoc quidem illud eſt quod veteribus legibus comprehenſum non eſt. Nos igitur quod deſit adjicientes, decernimus, ut *non modo* propter diverſitatem religionis, neque propter mentis emotionem, aut alias ob cauſas [23]: verum etiam propter hoc, quo nihil magis matrimonio adverſatur, quos ſponſaliorum opinio, non veritas copulavit, disjungantur. Quomodo enim vera ſponſalia ſunt, in quibus nihil verum neque genuinum conſpicitur? ubi meretricium [24] ſe offert ſcelus, ubi cauſæ ſunt diffidiorum & odii, ubi animorum alienatio: (quæ mala acervatim omnia pariter cum peregrino, alienoque ſemine ſuſcipiuntur) quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus ſponſalisque eſt amor? Quin ut quispiam alterius fœtum ſibi ſubjiciat, id vero ratio non patitur. Neque item juſtum eſt, ut qui ſpe honeſtæ caſti matrimonii oblectationis ſponſam in domicilium ſuum recipere conſtituerit, ſi illa matrimonii legibus inſulret, & cum [25] aliis laſciviendo, oblectationis ſpem evanidam ipſi reddat, in meretricia illa facilitate ipſam uxorem agnoſcere debeat.

CONSTIT. XCIV.

* LEGIS [26] QUÆ DE CONSULATU [27] AGIT, ABROGATIO [28].

Idem Imperator eidem Styliano.

Quoniam noſtra legum repurgatio [29] hunc ſibi propoſitum finem habet, ut non modo illa quæ ſubinde rerum ſtatum labefactant, verumetiam quæ longo tempore ſilentio obruta, inutilia prorſus, & tanquam propter cariem publico uſu non contractata eſſe videntur, e legali ſolo deleat: conſequens eſt, ut & quæ de conſulatu tractat legem [30], tanquam nihil in præſenti ad rempublicam pertinentem, cum aliis inutilibus legali corpori eximat.